

supradictum ex una ac civitatem Treverensem prefatam parte ex altera, per quam civitatem ipsam Treverensem, eiusdem dominium directum et utile, advocaciam ibidem cum mero et mixto imperio ac iurisdictione tam ecclesiastica quam eciam seculari ad eosdem archiepiscopum et ecclesiam pertinuisse et pertinere eorumque fuisse et esse pronuntiavimus, declaravimus et decrevimus, ex certa sciencia plena cause cognitione premissa ratificamus, approbamus et tenore presentium confirmamus.

XXV. Bestätigung aller Rechte und Freiheiten; Schluss.

K 46 XXV: (1) Item omnia et singula privilegia, indulgentias, sententias, concessiones, declarationes, exemptiones, libertates, donaciones, promissiones, litteras seu gracias premissas et alias quascumque ecclesie Treverensi vel ipsius archiepiscopis aut monasteriis seu ecclesiis eorum subditis quibuscumque tam a nobis quam ab aliis Romanorum imperatoribus aut regibus generaliter et specialiter sub quacumque verborum forma seu tenore concessas, insuper monetas, Iudeos, dominia, iurisdictiones, forestarias dictas Wiltpant, districtus, thelonia, stratas publicas, conductus per terram et aquas, ius navigandi, piscarias, aquarum decursus, ripas et littora in dominio, potestate vel districtu dicti archiepiscopi et ecclesie sue consistentes ac omnia feoda, iura, consuetudines, libertates, servitutes, proventus, redditus, bona sua mobilia et immobilia universasque possessiones vel quasi possessiones, quas nunc tenent et possident *, et specialiter feoda de Covern castri superioris et inferioris, proprietatem seu possessionem seu quasi monasterii sancti Maximini extra muros Treverenses, advocatiam monasterii de Wadegusse et de Sprenkirbach aliarumque ecclesiarum et monasteriorum suorum necnon proprietatem et possessionem opidi sui Monasterii in Meynefeld et castri Thuron cum eorum pertinenciis universis eidem archiepiscopo et sue ecclesie Treverensi innovamus, approbamus, concedimus et presentibus ex certa sciencia et motu proprio confirmamus.

(2) Et ut premissae donaciones, concessiones, indulgentie, voluntates et confirmationes omnes et singule ex decreto principum per nos pro nobis ac nostris successoribus indulte, facte et concesse, quas perpetuas esse volumus, cunctis temporibus inconvulse permaneant, omnia et singula privilegia et litteras a nobis vel nostris predecessori-

Entscheidung, die den in deutscher Sprache verfassten Urteilspruch eröffnet, enthält dieser u. a. Bestätigungen der Rechte des Erzbischofs betr. den Leinpfad auf der Mosel (vgl. oben IV), betr. Korporationen und Verfassung der Städte (vgl. oben XXIII).